

# Franckesche Stiftungen zu Halle

## Conspectus Chirurgiæ Tam Medicæ, Methodo Stahliana Conscriptæ

**Juncker, Johann**

**Halæ, MDCCLVII.**

**VD18 90812107**

**Tabula XLV. De Fistula Lacrymali.**

---

### Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

### Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and further information please contact the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

- pathemata persentiscunt; *hedera terrestris*, *bellis arvensis minor*, *sarcina*.
- II. Quando ad consolidationem properamus, resistendum est, sed omni modestia, reparacioni inaequali, nimis laxae, fungosae.
  12. In omni fistularum curatione quovis modo respiciendum est ad constantem aversionem affluxus, qui praecipue in superficialibus fistulis, que sub cute repunt, valde copiosus contingit.
  13. Dilatatio *ulceris sinuosi* vel *fistulosi* per turundas illas, quas Quell-Meissel vocamus, circumspetionem requirit. Facile enim per turunda intumescentiam irritatio & humorum novus affluxus, valde noxius, producitur.
  14. *Balsama exotica* profunt quidem ad ultimam consolidationem, quoniam autem calida sunt, cum melle & vitellis ovorum debent temperari.
- 

## TABULA XLV.

DE

## FISTULA LACRYMALI.

## I. DEFINITIO.

*Fistula lacrymali* est ulcus oblongum in *ductu lacrymali*, ab affluxu humorum acrum adversus haec loca, & ulteriore eorum in viis lacrymalibus corruptione, ut plurimum autem callositate, lacrymarum per ductum nasalem excretionem impediente, originem dicens.

## II. DIFFERENTIA.

1. Non occurrit facile affectus chirurgicus, in quo tordiffensus auctorum deprehenduntur, uti in *fistula lacrymali*.
2. Quemadmodum enim in sede atque causa hujus fistulæ designanda ob defectum anatomicum magnum in hunc diem commiserunt errorem, ita etiam methodus illorum has fistulas tractandi plus damni quam utilitatis attulit.
3. Præter ea affectus quosdam cognatos, nempe *epiphoram*, *anchilopem* &

& ægilopem cum ipsa fistula lacrymali confuderunt, atque hac ratione totum negotium tractationis intricatum reddiderunt.

4. Licet autem fistula lacrymalis cum hisce affectibus magnam cognationem habeat, & etiam originem saepe suam inde sumat, differt tamen quam maxime ab illis, nempe
  - 1) Ab epiphora seu oculo lacrymante. Nam in epiphora nulla corrupta materia, ut in fistula lacrymali, sed purus tantum humor lacrymalis in angulo oculi majore excernitur.
  - 2) Ab anchilope, ubi exulceratio nondum adest, sed tumor tantum inter angulum majorem & nasum, & hic tumor non semper intra saccum lacrymalem, sed etiam interdum juxta eundem reputatur.
  - 3) Ab ægilope. Nam licet hic ulceratio adsit, est tamen illa *extra* vias lacrymales. Quando autem temporis tractu has vias etiam corrodit, tunc vera fistula lacrymalis inde provenit.
5. Ceterum ipsam fistulam lacrymalem auctores dividunt:
  - 1) In simplicem & compositam, nempe cum callo vel carie coniunctam.
  - 2) In recentem & inveteratam.
  - 3) In perfectam, quando ulceratio non in solo ductu lacrymali permanet, sed externe etiam juxta majorem angulum aperturam per cutim corrosit; & imperfectam, ubi materia saniosa per puncta tantum lacrymalia excernitur. Et quoniam haec per saccum lacrymalem nullam habet aperturam, plerumque tumor circa hanc regionem conspicitur. Hinc est, quod auctores anchilopem cum fistula lacrymali interdum coniunctum esse dicant.

### III. SIGNA.

1. Praecedunt saepius affectus catarrhales circa nares, nempe coryza, modo simplicior modo acrior.
2. Sub hisce congestionibus in oculo affecti lateris sentitur consensualis & falsus quasi ardor.
3. Succedit mador oculi frequentior, qui, si vel maxime non continuus sit, per vices tamen largius erumpit.
4. Hic mador nocturno in primis tempore oculum illum ita irrigat, ut finito somno ulcerosa sanie conglutinatus appareat.

*Junck. Chir.*

Mm

5. Pre-

5. Progreditur hoc incommodum citius apud alios, apud alios tardius ad talem gradum, ut loco gelatinosæ illius substantiæ, quæ crusta-  
ceam talem consistentiam format, verum purulentum recrementum proveniat.
  6. Quamquam purulenta illa materia per diem rarius se exferat, quam altera illa gelatinosa substantia.
  7. Interea quando post horarum aliquot intervallum, præcipue post somnum, *saccus lacrymalis*, nempe spatum illud, quod ab interno oculi cantho ad nasum excurrit, sursum stringendo comprimitur, mox circa angulum talem interiore gutta una vel altera crassi-  
sus purulenta sanie prodit.
  8. Aliquando alter oculus incommoda quædam, præcipue ardorem sal-  
fum inde persentiscit, inprimis si talis effusio sponte & saepius con-  
tingat.
  9. Turgidius etiam apparet interstitium illud, quod est intra angu-  
lum internum & nasum, si attentius cum altero latere compa-  
retur.
  10. Non minus glandula lacrymalis in illo oculo tumidior atque rubi-  
cundior conspicitur, quam in altero.
  11. Quo magis humorem suum pars affectaplorat, eo majora incommo-  
da circa superficiales oculi tunicas, adeoque ipsam *corneam* ægri  
persentiscunt.
  12. Tandem gravioribus obscurationibus exponuntur.
  13. Quo magis caries sive *os unguis*, sive *os vicinum maxillæ superio-  
ris* infestat, eo magis adversi coloris & fætidi odoris materia pro-  
fluit.
  14. *Ductus nasalis* saepius obstructus, imo aliquando concretus est.
- IV. CAUSSÆ
1. Sedem *fistula lacrymalis* prioribus temporibus collocarunt auctores in uleuseculo quodam, quod ab angulo oculi interno *juxta aut per* carunculam lacrymalem ad nasi cavum tendat.
  2. Stahlius autem *in programmata de fistula lacrymali* hunc errorem de-  
texit, & primus fuit, qui de genuina hujus fistulæ conditione expo-  
suit. Cum enim post ætum materiae saniosæ proventum e puncto  
lacrymali superiori observasset, chordam chelyos per illud punctum  
in faciem lacrymalem immisit, & facta in saccum incisione fistulam  
funditus sanavit.

3. Ita-

3. Itaque *causæ continens* fistulæ lacrymalis est exulceratio in *viiis lacrymilibus*, præcipue autem in *sacco lacrymali*.
4. Causæ autem *antecedentes & occasio[n]ales* variæ esse possunt. e. g.
  - 1) Humor lacrymalis justo acrior in cacoehymicis oculum & vias tales afficiens. Unde copiosior humorum afflūxus ad illa loca provocatur, & corruptio augetur.
  - 2) *Anchilops vel agylops* quando negliguntur, vel incongrue tractantur. Hac enim ratione humores in anchilope stagnantes corrumpuntur, & ulcus, quod in ægilope adhuc *extra vias lacrymales* subsistit, ulterius serpit & diætas vias aggreditur.
  - 3) Obstrœctio *ductus nasalis* pro causâ antecedente vulgo quidem habetur, ita ut lacrymæ in illo stagnantes & acriores factæ, arrosonem inferant; sed, si res penitus consideretur, pro causâ magis concomitante & consequente haberi debet.

## V. PROGNOSIS.

1. Fistula lacrymalis, quando recens adhuc est, facilius percuratur.
2. *Callo* autem obducta, vel *carie* infecta magnam involvit difficultatem. Et licet congrua methodo antiquæ tales fistulæ persanatæ fuerint, leví tamen causa occasionali solent recrudescere, & tandem immediables evadere.
3. Id autem, quod auctores quidam de spontanea curatione fistularum talium, quæ carie & callo obfirmatæ fuerint, recensent, ad rariores casus referendum est.
4. Quamdiu *ductus nasalis* obstrœctus vel plane concretus est, constans curatio locum non habet.

## VI. METHODUS MEDENDI ET REMEDIA.

## A. Generalis.

1. Quicunque auctores sedem hujus fistulæ in *caruncula illa lacrymali* vel juxta eandem posuerunt, totam semper intentionem eo direxerunt, ut per aut juxta illam carunculam medicamenta turundis applicarent & imprimerent; sed quo infelici successu id factum sit, sub *Cau-telis* dicemus.
2. Detecto autem errore, uti superius indicavimus, duæ hodie novæ methodi prostant, *Stahliana* videlicet & *Anelliana*; quæ utræque & oculo & carunculæ lacrymali parcunt.

M m 2

3. Stah-

3. *Stabliana* sequentibus membris absolvitur:

- 1) Præparat corpus per remedia interna, & horum usum sub ipsa curatione externa, ubi necessarium est, repetit. *Conf. method. tabul. præcedentis.*
- 2) *Chorda chelyos*, cera in apice imbuta, explorat per punctum lacrymale flexum illum, quo ad sinum usque seu communem capacitatem ductus ipsius primarii se recipit.
- 3) Directa cultelli cuspide oblique ab oculo versus nasum fieri curat incisionem, ad os usque nasi penetrantem, quam, quia nimis latam adornare non convenit, *turundis* modeste amplificat.
- 4) Imperato hac ratione accessu sufficiente remedia convenientia, abstergentia nempe & eximie mundificantia balsamica applicat, donec fundus & simul totus incisionis ambitus legitime mundicatus compareat, neque ullo modo ad & per punctum lacrymale quidquam sanie ad oculum amplius propelli possit.
- 5) Tunc demum e fundo extrorsum & breviore in dies *turunda* ulcus consolidat; adhibita denique *cochlea compressoria*, proportionate, & prout ipsa cicatrix coalescit, ad majorem in dies compressionem adducenda.

4. *Anelliana* methodus hæc est:

- 1) *Specillum* tenerrimum ad hanc operationem adaptatum superiori puncto lacrymali immittit, & per *faccum lacrymalem* versus *canalem* *nasalem* modeste dirigit, atque obstructionem hujus ductus nasalis, si adsit, per qualemque pressionem (promovendo specillum in cavitatem usque naris) referat.
- 2) Deinde *syringa* subtilissima per punctum lacrymale *inferius* liquorem quandam convenientem injicit, ad uleus mundicandum. Eligitur autem punctum *inferius*, quia per hoc, ob minorem palpebrae inferioris motum, commodius, quam per superius, injectione fieri potest.
- 3) Has duas operationes, videlicet intrusionem *specilli* & injectionem balsamici liquoris, aliquoties per diem & tam diu repetit, donec ductus satis permeabilis & corrupta materia per *superius* punctum & per *canalem* *nasalem* sufficienter expulsa sit. Prius dignoscitur, quando injectus liquor sine prævia *specilli* applicacione per narem profluit; posterius autem exinde patet, dum nulla

la amplius materia ex angulo majore post pressionem facci lacrymalis provenit.

5. Quoniam autem methodus *Anelliana* in fistulis refractariis, callosis & cariosis non sufficit, & nonnullæ recentes fistulæ sine ulla operatione possunt curari, triplicem modum pro triplice fistularum gradu in curandis hisce fistulis sequentibus trademus.

B. *Specialis.*

1. Fistula lacrymalis *primi gradus*, id est, quæ adhuc recens, paucam boni coloris & consistentiæ materiam per puncta lacrymalia fundit, sequente modo tractetur :

- 1) *Interne* propincentur laxantia, diaphoretico-diuretica, moderate balsamica.

2. *Externe*

- a) *Venæsectiones æquinoctiales*, vel pro re nata *scarificationes* instituantur.

- b) Materia nondum adeo corrupta blande exprimatur, ne stasi acrimoniam contrahat, & partes arrodat. Fit hoc vel frequente per digitum *facci lacrymalis* pressione, vel spleniis, fasciis, & *troclea compressoria*, nempe instrumento illo, quod *crinale* appellatur.

- c) Discutientia conjungantur.

2. Fistula lacrymalis *secundi gradus*, id est, quæ altiores jam egit radicas & cum obstruktione *ductus nasalis* plerumque conjuncta est, optime tractatur per methodum *Anellianam*. Hinc

- 1) Ad ductum *nasalem*, si obstruetus sit, aperiendum applicetur *specillum* sive per punctum *lacrymale superius*, sive per aperturam illam, quæ in sic dictis *completis* fistulis per cutem facta est. Absente autem obstruktione, id quod e purulenta materia, post *facci lacrymalis* pressionem in narem profluente, colligitur, non opus est *specilli* immissione.

- 2) Hæc intrusio aliquoties per diem repertatur, ne canalis apertus rursus coalescat, & quantum fieri potest, per specillum illud simul exploretur, an caries, ex asperitate ossis dignoscenda, præsto sit.

- 3) Decoctum abstergens, mundificans, temperate balsamicum per syringam ab *Anello excogitatam* injiciatur, & per aliquot hebdo-

madas continuetur, donec sufficiens abstersio & mundifica-  
tio peracta sit

- 4) Quando materia per puncta tantum lacrymalia (seu uti Stahlius observat, per punctum tantum superius) profluit, & nulla per faciem lacrymalem apertura adest, sed sola illius relaxatio tumorem aliquem, berniam facci lacrymalis vocatum, format, compressoria illa trochlea, superius jam allegata, simul auxilio veniat.
3. Fistula lacrymalis tertii gradus, & de qua praeipue valet *definitio*, efficacissime per methodum *Stablianam* tractatur. Hinc
- 1) Apertio facci lacrymalis, nisi jam per ulcerationem facta sit, congrua sectione perpetretur, ut fons mali deregatur, & sufficiens aditus impetretur. Apertio autem canalis *nasalis*, si illius obstructio adsit, methodo *Anelliana* perpetretur.
- 2) *Callus*, si adsit, absumatur per illa remedia, quæ *tabula de ulceribus callosis* indicata sunt.
- 3) *Caries* autem ubi adest, removeatur per remedia, quæ *tabula de Carie* commendata sunt.
- 4) Deinde mundificantia balsamica turunda applicentur, e. g. li-  
quamen *myrrhae* cum vitello ovi subactum, item essent. *succini*  
cum pauca essentia *myrrhae*.
- 5) Concurrente ardore & inflammatione in ambitu applicetur *spiritus vini camphoratus* leniter *crocatus*, vel emplastr. de *spermato ranarum camphoratum*.
- 6) Denique ad consolidationem promovendam conducunt vel  
*emplastrum* e. g. *styptic*. *Crollii*, de *betonica*, *diapalm*. vel *epithe- mata* ex herbis *alchimillæ*, *sanicula*, *pyrolæ*, *millefolii* &c. parata.

#### VII. CAUTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.

1. Uti consideratio hujus fistulæ caussalis, ita etiam illius tractatio a vera ejus indole ad nostra usque tempora aliena fuit.
2. In angulo oculi per aut juxta carunculam lacrymalem cum *turundis* medicamenta imprimere, prioribus quidem temporibus, antequam error detectus esset, solemne erat, sed talis methodus insignia incomoda, dolores, irritationes, rubores, inflammations, carunculæ intumescientiam, imo totius faciei exterioris & capitis interioris cruciatus contrahebat.

3. Tan-

3. Tandem ad erosionem & extirpationem hujus carunculae error talis Chirurgos invitabat; unde non potuit non oculus perpetuo lacrymans ad minimum remanere; vel quando omnino directum consilium extirpationis non capiebat, saepe tamen per profundam tam & violentam turundarum impressionem, & medicamentorum acrum applicationem sincerus sanguis ex angulo prorumpere solebat.
4. *Egilops* eandem cum ulceribus aliis exposcit medicationem, quamdiu ulceratio ipsius extra vias lacrymales constituta manet. Denominationem accepita ab *αιξ capra* & *ψιλος* oculus. Dicunt enim hujus animalis oculos tali affectui praecipue obnoxios esse.
5. Quo maturius fistula lacrymali occurritur, eo certior spes est restitutio-  
nisi. Quando autem *caries* jam indueta & ossa notabiliter erosa sunt, tum curatio est difficillima, ad minimum longum tempus illa exposcit. Nam *os turbinatum*, *os unguis* contiguum, cavernulas habet, & hinc per applicationem cauterii vel causticorum sine effec-  
tu saepius tractatur.
6. *Caries* autem in *os maxillari*, tanquam robustiore, minoris est dif-  
ficultatis.
7. *Ossa spongiosa* quando carie infestantur, pertinax ille effectus *ozena*, dictus, inducitur, de quo suo loco dicemus.
8. Quoniam fons mali in caruncula lacrymali non reperitur, usitata priorum temporum *corrosiva* remedia tanto minus locum habent. *Cauterisatio* uti fundum fistulae hujus non attingit, ita etiam minime locum habet. Tacemus frivola adstringentia & nuda repellentia usi-  
tata, item balsamica acriora.
9. Ultimo loco mentionem facimus novae illius methodi, quam recen-  
tiores quidam, praecipue Galli, commandant. Videlicet quando callositas ductus nasalis renrediis auferri non potest, & ductus ille im-  
permeabilis manet, tunc lacrymis novam viam per *os unguis* sequen-  
te ratione parant.
  - 1) Incisionem semilunarem cum scalpelio, *bistouri* dicto, supra *os unguis* infra tendinem *musculi orbicularis* instituunt, & simul peri-  
osteum eodem scalpello incident.
  - 2) *Os unguis* denudatum vel instrumento apto, Gallis *curette* dicto,  
ea cautione perforant, ne laminæ ossæ prope *os unguis* depre-  
hendendæ laudantur.

3) Vel